

La Pancarte Noire de Saint-Martin de Tours, brûlée en 1793, restituée d'après les textes imprimés et manuscrits, Nr. 65

In nomine domini dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hludouuicus divina ordinante providentia imperator augustus. Si erga loca divinis cultibus mancipata imperiali more beneficia oportuna largimur, id nobis et ad stabilitatem imperii nostri et ad animae salutem obtinendam minime profuturum dubitamus. Notum sit igitur omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, teloneariis, actionariis, missis nostris per imperium nostrum discurrentibus vel omnibus rem publicam administrantibus seu etiam caeteris fidelibus sanctae dei ecclesiae nostrisque praesentibus scilicet atque futuris, quia detulit nobis venerabilis vir Fredegisus abba ex monasterio sancti Martini eximii confessoris Christi nostrique patroni, ubi venerabile eius corpus requiescit, praeceptum auctoritatis domni et genitoris nostri piae recordationis Karoli serenissimi augusti, in quo continebatur, quod ad precem decessoris sui Uulfardi quondam abbatis idem genitor noster ob amorem dei et venerationem sancti Martini carra et saumaticum hominibus his praelatis, quae propter utilitatem et necessitatem memorati monasterii per diversos regni sui mercatus mittebantur, ab omni teloneo immunia et secure esse sanxisset. Pro rei quoque firmitate nostram postulavit serenitatem, ut morem paternum sequentes huiusmodi beneficium eidem sancto loco concederemus. Cuius petitioni libenter aurem accommodavimus et hoc praeceptum fieri censuimus, per quod specialiter praecipimus atque iubemus, ut quotiescunque praefatus abba suiue successores et clerici in eodem loco Christo famulantes pro utilitate et necessitate sua sublevanda carra et saumatica negotiandi gratia in quoslibet mercatus imperii nostri aut in partes Austriae aut Neustriae aut Burgundiae aut Aquitaniae aut Prouinciae aut Italiae aut caeterarum partium loca imperii nostri direxerint, nullum teloneum ab his neque ab hominibus, qui eis praesunt, nec pontaticum nec portaticum nec rotaticum nec pulveraticum nec cespitaticum nec alias redibitiones quisquam exigere aut aliquam eis contrarietatem aut detentionem ingerere praesumat, sed liceat eis per hanc nostram auctoritatem per universa imperii nostri loca libere atque secure ire et redire, prout sibi commodum prospexerint, et ab

his, qui rem publicam administrant, eorumque iunioribus nullam patiantur incommoditatem. Teloneum vero, quod de memoratis vehiculis et hominibus iure fisci exigere poterat, eidem sancto loco libentissime, quemadmodum et in genitoris nostri praecepto continetur, concessimus elemosina, quatenus memoratum abbatem suosque successores cum clero sibi commisso pro nobis coniugeque proleque imperiique stabilitate iugiter dominum deprecari delectet. Et ut haec auctoritas inviolabilem obtineat effectum et a fidelibus sanctae dei ecclesiae et nostris verius credatur et diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus et anuli nostri impressione signari iussimus.

Signum Hludouuici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi et (S. R.).

Data III kalendas Septembris, indictione X, anno Christo propitio III imperii domni Hludouuici imperatoris augusti; actum Aquisgrani palatio regio, in dei nomine feliciter amen.